

nit: & a Patriarcha Sergio, mensis Novembris die tertio, quinta Indiſtione (anni Chr. 611.) Iuſtrali unda initiatus fuit in Blachernis. (Hic poſt patris obitum *Conſtans* appellatus eſt, annosque 27. Imperium tenuit.) Cedrenus loco non ſuo nativitate Davidis, & Conſtantis ponit, nimirum ad ann. Heraclii xxvi. ſic ſcribens. „ Heraclio „ in Oriente degenti, filius naſcitur Davidus: eademque „ die Conſtantino Heraclii filio, naſcitur Heraclius, „ quem Sergius Patriarcha baptizavit „. Atqui Annus Heraclii xxvi. incidit in annum Chr. 635. quo Indiſtio vii. menſe Novembri in curſu erat: & anno ſequenti, menſe Novembri, quo Heraclius Heraclii junioris filius baptizatus dicitur, Indiſtio vii. non v. decurrebat. Nicephorus in Hiſtoria pag. 16. de Heraclii Auguſti Conſtantinopolim poſt conſectum bellum Perſicum reditu, Conſtantinum filium ab illo Conſulem factum, & Heraclium ex Martina genitum Caſarem creatum fuiſſe ſcribit his verbis: *Inde Conſtantinum filium Conſulem facit; Heraclium vero ex Martina genitum Caſarem creat.* Id quod anno Chr. 631. geſtum, inde demonſtrat Pagius num. 16. quod in literis Honorii Papæ ad Honorium Dorovernenſem ſeu Cantuarienſem Epiſcopum datis menſe Junio anni 634. *tertius Imperii Heraclii Caſaris annus* numeretur. Hæc eſt Epiſtolæ Honorii Papæ ſubſcriptio apud eundem Pagium ad annum 633. num. 21. ex Chiſſetio in notis ad Bedam. „ Data die 111. Idus Junias, imperantibus Dominis noſtris piſſimis Auguſtis, Heraclio anno xxiv. Poſt Conſulatum ejuſdem anno xxiiii. atque Conſtantino filio ipſius anno xxii. ac Conſulatus ejuſdem anno xvii. ſed & Heraclio felicifſimo Caſare item filio ejuſdem anno 111. Indiſt. vii. „ ideſt anno Domin. Incarnat. dcccxxiv. Sed, ubi de Conſtantino dicitur, ac *Conſulatus ejuſdem anno xvii.*, in editione Saxonica, & Cod. Colbertino legitur, *anno tertio*: id quod referri videtur ad *Conſtantinum* ex Martina filium, qui apud Nicephorum loc. cit. dicitur *anno 631. ab Heraclio patre Conſul factus*. Verum nihil eſſe mutandum a Chiſſetiana lectione cenſeo: fermo enim eſt, non de *Conſtantino*